69

N DEI NOMINE Amen. Noverint vniuersi, quod anno computato a Natiuitate Domini nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo, die vero quæ computabatur duodecima mensis Septembris supradicti anni in Ciuitate Cæsaraugustæ in Camera Consilij Curiæ Domini Iustitiæ Aragonum, interuenerunt, & fuerunt præsentes, Illustrissimus Dominus Don Augustinus de Villanueua, & Diez, Iustitia Aragonum; Illustres Domini Doctor Hieronymus Caluo, Doctor Ioannes Antonius Costas, Doctor Orentius Ludouicus Zamora, Doctor Iosephus Español de Niño, Doctor Didacus de Vera, & Abarca, coram quibus fuit positus processus Doctoris Ioannis Vincentij de la Serrada, super apprehensione in articulo litis pendentiæ, in quo premissa relatione, &c. Quatuor ex dictis Illustribus Dominis Locumtenentibus fuerunt voti, quod tenentur pronuntiare delectionem articulorum supplicatam per Ioannem Franciscum del Rio Procuratorem, locum non habere. Et cum his pronuntiare, & in bonis in fine appellitus confrontatis mandare fieri contenta in propositione pro parte Licentiati Iosephi Segura, principalis Nicolai de Sepulbeda Procuratoris, in præsenti processu oblata, præstita prius cautione forali cæteris propositionibus reiectis, & repulsis reseruatis, iuribus reseruari supplicantibus, neutram partium in expensis condemnando cætera supplicata locum non habere. EX EO, & alias, ita pronuntiatur, & recipitur propositio Licentiati Iosephi Segura, & repellitur propositio Doctoris Ioannis Vincentij la Serrada, quia constat Canongiam, seu Præbendam, de qua in præsenti agitur vacasse de iure pariter, & de facto obitu Doctoris Hieronymi Arasques, & Capitulum Sedis Oscens. prouidisse Doctorem Ioannem Vincentium la Serrada, filium, & nepotem per lineam paternam naturalium Regni Francorum, & consequenter inhabilem, & incapacem ad obtinendum dictam Conongiã. Qua propter Licenciatus Iosephus Segura, auctoritate Apostolica mediante, eam obtinuit, & cum hij duo prouisi propositiones obtulerunt in præsenti processu, & sit præcisse, & necessario vnam ex eis recipere, & cum ex infra dicendis appareat nullatenus, propositionem dicti Doctoris la Serrada, secundum forales dispositiones recipere potuisset, & legitimo titulo, & prouisione Apostolica in fauorem dicti Licentiati Iosephi Segura, & de alijs necessarijs ad obtinendum in hoc iudicio, & processu ad plenum constet merito eius propositio recipitur, & contraria repellitur. Minime refragantibus his quæ pro parte Doctoris Ioannis Vincentij la Serrada, ad enerbandam, & excludendam intentionem Licenciati Iosephi Segura obijciuntur. Primo ex defectu quod Bullis exhibitis siue transumpto earum opponitur, scilicet non fore, necesse intra tempus fori in forma probanti exhibito. Secundo, quod Bullæ prædictæ non sunt verificatæ, nec executioni mandatæ, & sic dictus Iosephus Segura caret titulo, & ius ad rem, nec in re habet. Ex regula illa quamdiu gratia non est verificata, perinde est ac si gratia esset subreptitia. Tertio, & vltimo in subreptione Bullarum fundatur ex capite, quod in eis non est expressum nominatim & in specie impedimentum, & inhabilitatem allegatam ad obtinendam gratiam. Non primum ex defectu exhibitionis Bullarum, seu transumptum in forma probanti, exhibitum cum ex allegatis, & probatis in processu, quatuor per testes omni exceptione maiores Practicos, & in materia expertos probatur ad plene transumptum, exhibitum in forma probanti esse, & quod in iudicio, & extra debet adhiberi fides. Vltra quod de eius occulari inspectione ad plenum constat in forma probanti esse, cum habeat omnes præsumptiones ad præstandam fidem dicto transumpto. Habet enim annum, mensem, & diem,

indictionem, Pontificatum, locum, & numerum testium cum Notarij subscriptione, & omnia alia substancialia. His accedit Bulla originalis in forma authentica, & publica, & si exhibita extra tempus quinquaginta dierum, tempore vero probatorio durante, & quamvis verum sit de foro, qui propositionem offert teneri tempore oblationis illius exhibere scripturas de quibus in propositione fit mentio, & se vult iuvare, & consequenter prædictam Bullam ad plenam probationem in tempore inhabili fuisse exhibitam. Non vero ad veritatem transumpti verificandam, & corroborandam. Nec fundamentum secundum, ex defectu verificationis Bullæ, seu gratiæ alicuius est momenti: Ex eo enim quod Bulla, seu transumptum prædictum fuit præsentatum executori, & per eum admissum, & in executione ipsius concessit citationem, & rebus sic stantibus iudex prædictus fuit inhibitus mediante inhibitione iurisfirmæ, virtute capitis causæ omnes Sancti Concilij Tridentini concessæ, qua de causa gratia non potuit verificari medio tempore quod præcessit inter citationem ad verificandam gratiam, seu Bullam, & præconia foralia, virtute quorum dictus Iosephus fuit astrictus, & compulsus ad suam offerendam propositionem, & cum non stitisset per eum verificatio prædicta, pro verificata haberi censemus ad hunc effectum, & processum ob bonum Iustitiæ. Aliter enim per hanc viam fori nostri frustrarentur suæ quæ dispositiones nullius essent momenti cum alienigenæ de beneficijs prouisi, & possessionem eorum assumentes, iurisfirmam, & apprehensionem obtinentes prædictorum beneficiorum totaliter impossibilitarent, & impedirēt naturales prouisos, verificatione suarum Bullarum, si in tali casu ad obtulendam propositionem, suumque ius defendendum in processu apprehensionis gratia, seu Bulla non haberemus pro verificata. Maximè si facto aduersarij sicut in nostro casu impediatur. Verificatio coram executore, & hic verificata manet vt ex infra dicendis apparebit. Denique non obstat subreptio Bullarum in vltimo fundamento ex defectu expressionis nominatim, & specificè inhabilitatis, & impedimenti, quia hæc in casu nostro quidquid in alio controuersum sit per Doctores, non inducere subreptionem censemus. Cum enim fori anni millesimi sexcentesimi quadragesimi sexti, sub rubrica de *Prælaturis, & quod extraneus à Regno, & de alienigenis, &c.* Francigenos, filios, & nepotes eorum per paternam lineā, quamvis natos intra nostrum Regnum incapaces, vti alienigenas faciat, ad obtinenda beneficia, Dignitates, & Prælaturas, & ex allegatis, exhibitis, & probatis in præsenti processu, ad plenum constet legitime Doctorem Ioannem Vincentium la Serrada, filium, & nepotem per lineam paternam esse Francorum, siue Francigenorum, constat enim esse filium legitimum, & naturalem Bernardi de la Serrada, naturalis Prouinciæ, seu Villæ de Armenac, situatæ in Regno Franciæ, & Mariæ Boria, & nepotem Arnaldi, vulgo Arnau de la Serrada, eiusdem loci, Prouinciæ, & Regni Franciæ, & Laurentiæ la Casaña, & hoc non solum magno numero testium, vt sunt viginti, & tres omni exceptione maiores remanet probatum, qui de reputatione confessione eorum, loquela, & alijs necessarijs ad plenam probationem faciendam concludunt, verum etiā multis documentis, & scripturis, quibus veritas testium patefit, & corroboratur probatum manet. Scilicet instrumento capitulorū matrimonialium dicti Bernardi la Serrada, & Mariæ Boria, parentū dicti Doctoris la Serrada, recepto, & testificato per Michaelem Lopez de Botaya, Notarium de Numero Ciuitatis Oscæ, die primo mensis Iunij, anni millesimi quinquagesimi nonagesimi noni, in quibus per hæc verba: *Parecieron personalmente Bernad de la Serrada mercader, natural de la Villa de Armenac del Reino de Francia, hijo legitimo, y natural de Arnau de la Serrada, y Lorença la Casaña de la misma Villa,*

lla, con interuencion, &c. Apparet patrem, & avum paternum dicti Doctoris la Serrada, esse naturales Regni Francorum. Apparet etiam ex libris exhibitis quinquelibrorum confirmatorum, & baptizatorum Sanctæ Ecclesiæ Cathedralis Oscensis, & Sancti Laurentij, dictos Bernad de la Serrada, & Mariam Boria, esse patres dicti Doctoris la Serrada, & ex alijs quam plurimis scripturis testamentorum, & pactorum dotalium in præsenti processu exhibitorum, & ex alijs documentis carentibus omni exceptione, & suspictione. Quibus iunctis probationibus luce meridiana clarioribus apertè, apparet dictum Doctorem la Serrada, filium, & nepotem per lineam paternam esse naturalium Regni Franciæ; & consequenter incapacem, & inhabilem ad obtinendum Canonicatum, & Præbendam, de quibus in præsentiarum agitur, quibus non obstant testes, nec scripturæ per dictum Doctorem la Serrada adductæ ad enerbandas, & excludendas prædictas probationes: & si enim verum sit probationes per dictum Doctorem la Serrada factas, per se sumptas, & solummodo eas inspectas plenam probationem ad suam intentionem facere posse. Attamen diligenter inspectas, matureque consideratas, & cum probationibus supradictis perpensis, & examinatis nullius esse momenti censemus. Multas enim patiũtur inverisimilitudines contradictiones, & species falsitatis. In primis enim si credendum sit probationibus per dictum la Serrada factis, parentes eius vocabantur Bernardus Serratia, alias la Serrada, naturalis Villæ de Lassa, Regni Navarræ inferioris, vulgo la baxa, aliàs de San Iuan del Pie del Puerto, & Mariæ la Borda, avi vero Petrus Serratia, alias Serrada, & Maria Vrrutia, quod contradicitur, & opponitur multis documentis, & scripturis per dictum Iosephum Segura exhibitis, & fide factis absque aliqua suspictione, & etiam dictis testibus per eum productis. Ex quibus omnibus resultat contrarium cum diversitate nominis, & pro nominis, parentum, & avorum. Ex qua non solũ diversitas personarum præsumitur, sed familiæ probatur. Et signanter per instrumentorum pactorum dotalium superius calendatorum, & per instrumentum pactorum dotalium Ioannis de la Serrada, fratris dicti Doctoris la Serrada, resultat parentes ipsius fuisset Bernat de la Serada, & Mariam Boria, vt testes Licentiati Segura, qui eos cognouerunt testificant, & deponunt. Idem confirmatur per alium instrumentum pactorum dotalium Petri la Serrada, fratris dicti Doctoris, & per testamentum Michaelis de Rios, consanguinei Mariæ de Boria eius matris, & per libros Quinquelibrorum superius mentionatos. Accedat suspictio, & præsumptio vehemens contra Doctorem la Serrada, resultans ex visuris factis in Camera Consilij quinquelibrorum Sanctæ Ecclesiæ Oscens. & Sancti Laurentij, & per quatuor partitas dictorum librorum emmendatas, & falsificatas apponendo in nomine Bernardi la Serrada, patris dicti Doctoris la Serrada, vbi stabat, & legebatur Bernad, Bernardo, & vbi in nomine Maria Boria, eius mater, Maria la Borda. Ad se liberandum de nota, & probatione legitima, quæ ex dictis pactis dotalibus parentum suorũ resultabat, & ex alijs scripturis superius mentionatis, scilicet patrem suum esse Bernad de la Serrada, filium Arnai, vtriusque naturalis Regni Franciæ, & matrem Mariam Boria, quod conuincitur, & absque dubitatione comprobatur, ex alijs tribus partitis dictorum quinquelibrorum, quæ ad testimonium veritatis intactæ remanent, & absque suspictione aliqua, concordant cum dictis testibus per Licentiatum Segura, productis, & instrumentis exhibitis. Ex quibus veritatem quam defendimus patefit, & falsitas testium, & probationum Doctoris la Serrada, demonstratur, & conuincitur testimonium dictorũ te-

testium Licentiati Segura, quibus legitime probatur non solum parentes dicti Doctoris la Serrada, esse dictos Bernad de la Serrada, naturalem Regni Franciæ, & Mariam Boria, & non la Borda, sed dictum eius patrem, non contraxisse alium matrimonium, nec alium mulierem habuisse, sed dictam Mariam Boria. Vlterius ponderatur inuerosimilitudo dictorum testium Doctoris la Serrada, & temeritas suarum depositionum in asseueratione de asistentia actuali; & occulari inspectione tempore natiuitatis Bernardi Serratia, in loco de Lassa, quod vigesimi duo testes de auditu maiorum, qui actuali præsentia, hoc viderunt deponunt, ex quo copioso numero maior incertitudo, & tenuitas oritur. Conuincitur etiam dictum testium Doctoris la Serrada, in quantum deponunt de voce communi, & fama publica, quia per vndecim testes Licentiati Segura, probatur prædictam famam affectatam esse ortam, & procuratã post editionem fororum anni, millesimi sexcentesimi quadragesimi sexti, nullo alio rumore detecto antea. Eisdem de causis cõuincitur testamentũ Petri de la Serrada, alias Serratia, & instrumentum apochæ legati in eo relicti contrariatur. Namque tot instrumentis per Licentiatum Segura exhibitis, & dictis suorum testium, vltra quod ex eius visura, & occulari inspectione inuerisimilitudines, & specie falsitatis colliguntur. Tum quia ad casum præsentem tantum, & ad probandam intentionem Doctoris la Serrada, actum videtur. Tum etiam, quia ex prætio exorbitanti bobis legati colligitur, & ex solutione facta supposito Procuratori. Ex quibus omnibus iunctis clarissimè resultat vel quod testes, & probationes Doctoris la Serrada, sunt falsæ, vel quod Bernardus Serratia, & Maria la Borda, non fuerunt eius patres, nec Petrus Serratia, & Maria de Vrrutia eius avi. VLTRA QVOD QVANDO FVISSENT, NON CARET MAGNA DIFFICVLTATE, QVOD IN PRÆSENTI OBTINERE POTVISSET, CVM PROVINCIA REGNI NAVARRÆ, VVLGO LA BAXA, LOCI DE LASSA, SANCTI IOANNIS PEDIS PORTVS, IN QVO PATREM, ET AVVM VVLT INCLVDERE EXTRA DOMINATIONEM, ET DOMINIVM DOMINI NOSTRI REGIS EXISTAT PLVSQVAM CENTVM ANNOS, ET NON SIT PARS EIVS CORONÆ, ET MONARCHIÆ. IMO SIT IN DOMINIO, ET POTESTATE, ET PARS CORONÆ, ET MONARCHIÆ REGIS FRANCORVM, in quo cum necessarium ad præsens non sit nostrũ, nõ interponimus iudiciũ: consequenter suam intentionẽ nõ probasse, & impedimẽtum, & incapacitatẽ in Bulla gratiæ Canonicatus, de quo in præsenti agitur fuisse legitime probatam, & verificatam. Accedat denique principale, & capitale fundamentum, quo omnes tollantur difficultates, & integra, & legitima detur satisfactio oppositionibus, & exemptionibus allegatis per Doctorem la Serrada, ad excludendam propositionem quam admittimus. Ex eo namque quod ex supradictis clarissimè colligitur dictum la Serrada, filium, & nepotem esse per lineam paternam naturalium, & originariorum Regni Franciæ, & necessario, & præcisse incapacem, & inhabilem eum censemus ad obtinendum in præsenti, & in omnibus tanquam exterum, & alienigenam à Regno nostro tractandum. Id enim important, & disponunt verba fori nostri de Prælaturis, anni millesimi sexcentesimi quadragesimi sexti, ibi. *Que los Frãceses, hijos, y nietos dellos por linea paternal, aunque sean nacidos, y naturalizados, &c.* Quod fuit idem ac si diceret filij, & nepotes Francorum, vel Francigenorum per lineam paternam eiusdem sint conditionis, quod pater, & avus, & incapaces, & inhabiles fecit. Quemadmodum erant ipsi pater, & avus per regulam æquiparatorum eidem sit dispositio, seu iudicium, & ideo sit extensio de vno æquiparato ad aliud. Quod procedit etiam in penalibus exorbitanti-

tibus,& correctorijs. Maxime quãdo sumus in casu tam claro, vt in præsentiarum, & præcipuè statuto forali mediante standum esse carthæ, in qua de comprehensione litterali non potest dubitari, rubrica enim nostrorum fororum, anni millesimi sexcentesimi quadragesimi sexti, omnem tollit difficultatem, maxime enim quando fori noui tam clare locuntur ad dicendo, & addendo foris antiquis istius rubricæ, ad quorum dispositionem quando non essemus in casu tã claro recurrendum erat per regulam, quod in qualibet materia est primum recurrendum ad rubricam, & titulum in quo de ea tractatur. Statutũ enim, seu lex recipit interpretationem à rubrica natura enim additionis est vt reputetur secundum naturam sui prehexistentis cui addicitur nam additio, seu adiectio dicitur pars illius legis, seu statuti cui adijcitur. Et consequenter casus noster secundum fori antiqui istarum rubricarum debet finiri, & terminari secundum quos alienigena, vel qui vt talis est inhabilis, & incapax ad obtinendum nullo modo, nec in aliquo casu potest obtinere, & contra quẽ multa iuris, & fori correctoria disponuntur, vt ex dictis foris colligitur, & præcipue, ibi. *Que el dicho Estrangero no pueda obtener en manera alguna en el articulo de lite pendente, ni en el possessorio en la primera instancia, ni en grado de apelacion, aunque tenga mejor titulo que el natural Regnicola, el qual antes desde agora se declara por mejor que el Estraagero, quitando toda facultad de en otra manera poderlo pronunciar, ni declarar.* Ex quibus clarissimis verbis apertissimè colligitur in nostro casu citra dubitationem esse, & prout in sententiam pronuntiandum fore, & esse censemus. *Attentis contentis, &c.* Et in præsenti processu alter ex dictis Dominis Locũtenentibus fuit voti, quod tenetur pronuntiari, & in bonis in fine præsentis appellitus cõfrontatis mandare fieri cõtenta in propositione pro parte Doctoris Ioannis Vincentij la Serrada principalis, Ioannis Frãcisci del Rio Procuratoris in præsenti processu oblata præstita prius cautione forali, cæteris propositionibus reiectis, & repulsis, reseruatis iuribus, reseruari supplicantibus, neutrã partiũ in expensis condemnando, cætera supplicata locũ nõ habere. Ex eo, & aliasmodo quo in sententia pronũtiandũ censui, quia cõstat vtique de titulo, & possessione Doctoris Vincentij de la Serrada, ad obtinendum in hoc processu, & iudicio in bonis apprehensis. Ille namque Canonicæ per Capitulum Ecclesiæ Oscensis fuit electus, siue prouissus, ac etiam institutus in Canonicatu, & Præbenda litigiosa, quæ vacauerant per obitum Doctori Hieronymi Arasques, vltimi possessoris, ac in eius possessione actuali reperitur. Ex quo sequitur propositionem Iosephi Segura, & Mandiolaza, reijciendam fore provt reijcio, quia licet ipse eandem Canongiam impetrauit à Romano Pontifice, tamen gratiam illam obtinuit cũ narratiua generali, quod Capitulum dictæ Ecclesiæ non fecit electionem de persona idonea, nec capaci, & sic absque speciali, seu indiuidua expressione dictæ incapacitatis. Ex quibus prætẽditur subreptitiam fuisse gratiam, & impetrationem ex defectu voluntatis Pontificiæ, & quidquid de vitio, & nullitate huiusmodi Bullarum contingat. Ex alio capite eius propositio reijcienda venit, videlicet quia in gratiosis omnia narrata sunt coram executore verificanda, & interim quod non verificantur perinde est, ac si gratia fuisset subreptitia, quæ non fuerunt verificata, & sic eius titulus, & possessio deficiunt, quæ necessario concurrere simul debent ad obtinendum in causis beneficialibus in hoc iudicio, nec difficultatem istam subterfugi potest. Ex eo quod prætensam incapacitatem Doctoris Vincentij de la Serrada, conatur fundare in eo, quod est filius Francigeni, & vt talis à foro impeditus, tanquam extraneus & alienigena Beneficia, Dignitates, nec Prælaturas, possidere retinere vc. Nã, & à contrario idem la Serrada, excepit dicendo, quod eius pater fuit natus, & oriũdus àb opido de Lassa, sito in Regno Nauarræ, inferioris dicti Diui Ioannis

nis

nis Pedis Portus, & vulgariter Nauarra la baxa, ad quod probandum plures testes, pro vtraque parte adducuntur, & similiter instrumentis eorum intentio respectiuè coadiuuatur, sed in hoc probationum conflictu cui magis sit standum non insistam simulque omitam decidere, siue iudicare, an filij, & nepotes descendentes à prædictis hominibus de Nauarra la baxa, vti veri vasalli Regis Christianissimi sint comprehensi in dispositione fori noui vti filij, & nepotes Francigenarum, vel an conferuent adhuc honores, & priuilegia vasallorum Domini nostri Regis, sub cuius Corona, seu dominatione antea fuerunt, quousque per inuictissimũ Dominum Imperatorem Carolum Quintũ, fuit illud Regnũ vasallis inuitis, & reluctãtibus dimissum, siue derelictũ, & inde post modũ à Rege Franciæ, præocupatum ac eius Coronæ vnitũ. EX QVO VERVM ERIT DICERE ILLOS FRANCIGENAS ESSE, nam his præter missis citra veri præiudiciũ data hypothesi, quod hi similiter cõprehenderẽtur sub dicta prohibitione fori adhuc in hoc casu ob defectum possessionis, & tituli dictus Segura, excludendus venit, nec ei suffragari potest, quod gratiã exequi, seu verificare impeditus fuerat virtute cuiusdam iurisfirmæ per Doctorem la Serrada obtentæ in vim capitis causæ omnes Concilij Tridentini, & executori præsentatæ. Et quod sic contra impedientem debuit haberi gratia pro verificata, nam illud impedimentum, cum sit forale, & iuridicum non debet ei prodesse, quia solum impedimentum in facto impedientis proueniẽs potest contra ipsum pro verificato haberi. Nec rursus obstat quod ex dictis dispositionibus foralibus anni millesimi sexcentesimi quadragesimi sexti, sub titulis de Prælaturis, & quod extraneus à Regno, filij, & nepotes Francigenarum, quo ad beneficia, & officia reputantur alienigenæ, ac data supositione quod Doctor la Serrada, in supradictis sit comprehensus in eis, cum titulus ei vti extraneo, & alienigenæ fortiter resistat, no erit manutenibilis eius possessio, cum & cuilibet de populo, & Procuratori Regni, in his casibus permittatur apprehendere beneficium, & contra actualiter possidentem alienigenam obtinere iste debeat, & sic à fortiori dictus Segura, etiam si titulo, & possessione careat obtinebit, nam huic obiectioni in quo tota difficultas consistit ocurra n animaduertendo, quod ista dispositio, seu noua lex, eo quod est exorbitans, & aliarum correctoria, strictissime interpretanda erit, vt tantum in casu expresse, correcto locum sibi vindicet, & nõ protrahatur ad alios etiam similes, cum argumentum à paritate, nec maioritate rationis admitti valeat in similibus, iste namque forus novus, venit in correctionem aliorum, siquidem verè natos in Regno ab huiusmodi beneficijs repellit. Igitur licet in hac parte obseruari debeat, non tamen inde sequitur, nec in consequentiam veniet quod similiter obseruetur alterum speciale contra eos vt in hoc articulo, & iudicio, etiam obtineat nullum habens titulum neque possessionem, quæ duo specialia essent, ex longi diuersis dispositionibus foralibus antiquis proueniẽtia. Nam quod alienigenæ excludantur pœnitus à beneficijs fuit statutum in foris sub titulo de Prælaturis, à Regina Maria in Villa de Maella, sub anno 1423. Et quod quælibet persona particularis, & Procurator Regni, sit pars legitima ad apprehendendum, simulque obtinendum fructus dictorum beneficiorum, disponitur in foro à dicto Domino Imperatore Carolo Quinto, in Curijs Montisoni celabratis anno 1533. Vnde hæc duo specialia ob dictas sanctiones, & leges proueniunt in longè diuersis tempore, & Curijs æditis. Igitur sicut à principio vnum potuit stare sine alio. Ita similiter in præsenti potuit dari correctio prioris antiqui fori. Quoad inhabilitandas personas, & non dari respectu posterioris æditi Mõtisoni in quo corectio distincta datur scilicet fori *Porquanto de apprehensionibus*; vbi in causis beneficialibus possessio debet cum titulo iustificari, & si objiciatur quod dictus forus novus, venit ad-

den-

dendo antiquis foris, & quod additamentum sequitur naturã eius cui adijcitur etiam in penalibus, vel æquiparando istas personas veris natis extra Regnum, & æquiparatorum eadem est dispositio cum omnibus suis qualitatibus. Respondetur, quod hæc, & similes regulæ non procedunt quãdo id quod adijcitur, vel æquiparatur est correctorium alterius legis, & fori, nam vt prædiximus contra regulas iuris non valet argumentum à paritate, nec à maioritate rationis. Vltra quod novus forus solum corrigit, & addit quo ad prohibitionem obtinendi possidendique beneficia non vero quo ad id quod eadem apprehendi, & obtineri possint à non habentibus titulum, neque possessionem, quia de hoc, neque verbum aliquod profertur in huiusmodi correctione vel additamento. Vlterius respondetur verba illa, *añadiendo a dichas disposiciones forales*, non collocari sub Foro de *Prælaturis*, in quo filij, & nepotes Francigenarum remouentur à beneficijs, & Dignitatibus Ecclesiasticis, sed in foro sequenti, in quo ab officijs Secularibus huiusmodi personæ etiam excluduntur, & sic est distincta dispositio, quo ad personas & res, nec ad contrariũ sentiendum nos conducere possunt, verba illa dicti fori: *Beneficios ni Dignidades*, quæ licet *Eclesiasticas*, regulariter intelligantur. Tamẽ ibi secũdum subiectam materiam, nõ nisi secularibus, Officijs, & Dignitatibus aplicari possunt, quod comprobatur ex sequentibus. Primo quia iam in foro antecedenti de *Ecclesiasticis Beneficijs*, disposuerat sub certo foro, & peculiari titulo de *Prælaturis*. Igitur superflua esset de eisdem repetitio. Nam in legibus à superfluitate verborum maxime, est cauendum. Deinde titulus, seu rubrica illa, sub qua sunt posita dicta verba *quod extraneus à Regno, & de alienigenis ad officia non admitendis*, ex duobus illis titulis antiquis depromitur. *Quod extraneus à Regno non sit habere officium in Regno*, & à titulo de *alienigenis ad officia non admittendis*, ac in illis, nec altera illarum nulla de beneficijs, nec personis Ecclesiasticis expresio fit, sed tantum de officijs, & personis secularibus, & sic ex rubro nigrum declaratur. Rursus illa verba dicti fori, *añadiendo a dichas disposiciones forales*, non referuntur ad dispositionem fori proximi antecedentis de Prælaturis, sed ad dispositiones forales, quæ sub duabus illis rubricis, siue prohemijs *quod Extraneus à Regno*, & altera illa de *alienigenis*, continentur. In quibus rectè potuit cadere subiecta materia. Vlterius hoc idẽ expresse suadetur, ex illis verbis, *aunque sean nacidos en el Reino, y esten casados en el con hijas de naturales del Reino.* Quid enim absurdius dici potuisset quam quod coniugati nõ possunt obtinere Dignitates, nec Beneficia, si ad Ecclesiastica protraherentur verba illa, & denique verbum *Beneficios, ni Dignidades*. Quod de secularibus intelligantur probatur per illa continuo sequentia, *aunque sean de terminos, ò congregaciones*, quæ iuncta ita leguntur, & sensum faciunt; *no puedan, ni sean capaces para tener oficios, assi de Iusticia, como de Administracion, ò Gouierno, Beneficios, ni Dignidades, aunque sean de terminos, ò congregaciones.* Quia beneficia, & dignitates Ecclesiasticas in proprijssime darẽtur terminorum. Ex quibus omnibus apparet nullo iure, nec foro fundari posse, quod dictus Segura obtinere posit, sine titulo, & possessione contra actualiter posidentem. Nec magis refragatur quod quando quis allegat, & probat possessionem alicuius rei, & contra eum in tali possessione, & iure resistit fortiter titulus, & vehemens ius commune prout facta dicta suppositione resistit, dicto la Serrada, non debet conseruari in sua possessione. Nã ex hoc minime sequitur quod debeat obtinere qui nec possessionem, nec titulum habet, qualis dictus Segura, & pro coronide facit, quod sine titulo, & sine possessione admittitur, quis iuxta antiquos foros quando solum apprehendet ad finem conseruandi fructus, non vero quando intendit eos proprios si-

bi

bi facere, vt intendit dictus Segura, & ex alijs attent. content. &c. Et deinde sub die decimotertio mensis Septembris, anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo, in Camara Consilij Domini Iustitiæ Aragonum, interuenerunt, & fuerunt præsentes infrascripti, & sequentes; Illustrissimus Dominus Don Augustinus de Villanueua, & Diez Iustitia Aragonum, Illustres Domini Doctor Hieronymus del Caluo, Doctor Ioannes Antonius Costas, Doctor Orentius Ludouicus Zamora, Doctor Iosephus Español de Niño, Doctor Didacus de Vera, & Abarca, & deinde sub die vigesimotertio mensis Septembris supra dicti anni, in Camera Consilij Domini Iustitiæ Aragonum, interuenerunt, & fuerunt præsentes Illustres Domini Doctor Hieronymus del Caluo, Doctor Ioannes Antonius de Costas, Doctor Iosephus Espanol de Niño, Doctor Didacus de Vera, & Abarca, Locumtenentes dictæ Curiæ, coram quibus respectiuè in dictis duobus diebus proximè Calendatis fuit positus processus Doctoris Ionnnis Vincentij de la Serrada, super apprehensione in articulo litis pendentiæ, in quo quatuor ex dictis Illustribus Dominis Locumtenentibus fuerunt voti, tenentur pronuntiari, & non obstante reuocatione supplicata, quæ locum non habet stare in pronuntiatis. EX EO, & alias pronuntiatur pro vt supra, ex eisdem Motiuis in sententia diffinitiua per eam factis, & ex eo quia si præsens causa nō fuisset finienda, & terminanda per foros antiquos de *Prælaturis*, vt in Motiuis diffinitiuè probatum manet, necessario, & terminanda erat per forum *Por quanto de apprehensionibus*, sed per dispositionem dicti fori tantum possunt terminari causæ beneficiales, quæ per obitum & liberam renuntiationem tractantur, vt multoties in Curia concordi voto, est decissum, ergo nullatenus nostraque fundatur incapacitate, & impedimento prouisi Capituli; quæ ex probatis in processu, & ex motiuis resultat esse alienigenatus, ob quæ Summus Pontifex gratiam, & prouisionem fecit in fauorem dicti Segura consequenterque per foros antiquos de *Prælaturis*, debet finiri, & ex his, & alijs attent. content. &c. Et in dicto processu & causa, & in vno ex dictis duobus diebus proximè recitatis, & calendatis alter, ex quinque Dominis Locumtenentibus, fuit voti tenetur pronuntiari, & mandare fieri contenta in propositione Doctoris Ioannis Vincentij de la Serrada principalis, Ioannis Francisci del Rio Procuratoris, præstita prius cautione forali, alijs propositionibus reiectis, & repulsis reseruatis iuribus reseruari suplicantibus, neutram partium in expensis condemnando, quascumque pronūtiationes in contrarium factas reuocando, cætera suplicata locum non habere. Ex eo, & alias pronuntiatur provt in sententia, & pronuntiatione ex eisdem Motiuis per eum in sententia factis, & alias, attent. content. &c.

SIG ✠ NUM mei Martini Ambrosij Melguizo de Lara, in Ciuitate Cæsaraugusta domiciliat. auctoritateque Regia per vniuersam terram, & denominationes Domini Regis publici Notarij, ac Regentis vnam ex Scribanijs Curiæ Domini Iustitiæ Aragonum, & Secretarij substituti Consilij dictæ Curiæ, qui supradicta Vota, & Motiua à suo Originali libro Motiuorum Consilij dicti Curiæ extraxi, comprobaui aprobo ego Notarij supradictus emendat. vbi legitur in ba. & meo solito signo signaui, &c.